

deberent, & possent eligere Archipresbyterum, si & quatenus dicta Ecclesia de Molariis vacaret, elegerant scienter indignum videlicet te qui non es, nec eras ut confessus fuisti in iudicio coram nobis in ætate legitima constitutus, scilicet viginti quinque annorum, prout statuunt habere volentem Ecclesiam curatam suprascriptæ Canonice sanctiones, & quod etiam non es, nec eras quando fuisti sic electus de facto sufficientis litteraturæ, nec idoneæ ætatis ad tale beneficium gubernandum, propter quæ electio prædicta, si qua facta fuit, ipso jure fuit nulla, & inanis, nihilominus cognoscentes quod a te præfata Ecclesia de Molariis poterit in suis juribus, ut præmittitur, restaurari, & etiam gubernari, ideo tecum quod possis dictam Ecclesiam obtinere ex nostra auctoritate ordinaria, qua fungimur, prout melius de jure possumus, & statuunt sacri Canones prælibati, dispensamus, ita quod non tenearis, insistendo tamen studio litterarum usque ad septennium, vel infra dictum septennium ad faciendum promovendi, dummodo tamen infra annum te requiras, & facias ad subdiaconatus ordinem ordinare, & interim per idoneum Sacerdotem in spiritualibus, & temporalibus dictæ Ecclesiæ, & cures optime deservire, qua dispensatione præmissa, te in rectorem, & administratorem Ecclesiæ Archipresbyteratus prædicti eligimus, tibi que administrationem, & rectoriam prædictæ Plebis, & curam animarum committimus, & conferimus nostra ordinaria potestate. Volumus autem quod serves omnia suprascripta, prout statuunt sacri Canones prælibati infra septennium suprascriptum, prout a te in manibus nostris, tactis sacrosanctis Evangeliiis recipimus juramentum sine . . . observes, & quantum in te est, facias observari. In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus nostro sigillo munitas, actum ut supra, præsentibus testibus quibus supra.

Alia de Eccl. S. Laurentii de Gamalerio Aq. Diac. Gulielmo Bonoxio.

337

M C C C L X V I I I.

Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilecto nobis in Christo Presbytero Gulielmo Bonoxii de Beata Maria de Saona salutem in Domino. Exigentibus tuarum virtutum meritis, super quibus apud nos laudabili testimonio multipliciter in Domino commendaris inducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod volentes intuitu Dei, & tuorum præmissorum meritorum tibi facere gratiam, Archipresbyteratum, beneficium, & præbendam vacantes in Ecclesia sancti Laurentii de Gamalerio nostræ Aquensis diocesis per privationem per nos factam de Bertolino Cazulini de Bosco dudum dictæ plebis Archipresbytero tibi conferimus nostra ordinaria potestate, & curam dicti loci Gamalerii tibi committimus animarum investientes te cum annulo nostro auri de dicto Archipresbyteratu, rectoria, & administratione ipsius, & de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eosdem decernentes ex nunc irritum, & inane si secus contra præmissa, vel aliquid præmissorum fuerit quomodolibet attentatum,

vel contigerit attentari. In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus nostro sigillo munitas. Dat. in Castro nostro Bestagni die XXIII. novembris, anno Domini MCCCLXVIII., indictione VI. præsentibus Bertramo de Oddono Castellano Cavatorii, Francisco Pennacio, & Gulielmo de Puteo de Meladio testibus vocatis, & rogatis.

Delegatio Archipresbiteri Gamalerii Aquensis diac. ad dandam possessionem Rectori Eccl. S. Stephani Castrinovi Incisæ.

M C C C L X I X.

338

Jacobinus &c. dilecto nobis in Christo Presbytero Gulielmo Bonnoxii Archipresbytero plebis sancti Laurentii de Gamalerio Aquensis diocesis, salutem in Domino cum auctoritate ordinaria contulerimus fratri Christophoro Arnutio de Alexandria monacho monasterii S. Petri de Burgolio Aquensis diocesis ordinis S. Benedicti Rectoriam, & administrationem Ecclesiæ S. Stephani de Castronovo Incisæ dictæ diocesis, & curam animarum ejusdem loci sibi commisimus, ac ipsum investivimus de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eandem. Ideo tenore præsentium tibi committimus, quatenus dictum fratrem Christophorum inducas in corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ, & omnium jurium spiritualium, & temporalium pertinentium ad eandem, & eum sic indutum auctoritate nostra defendas contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo. Quibus in præmissis, & quolibet præmissorum tibi committimus nostras vices. Datum in castro Bestagni die XIII. januarii, anno Domini MCCCLXIX., indictione VII.

Collatio Ecclesiæ parochialis S. Martini de Castellatio dioces. Aquen. F. Bartholomeo de Fidentia ord. Herem. S. Aug. cum facultate absolvendi a casibus reservatis.

M C C C L X I X.

339

Guido Aquensis Episcopus, & Comes, dilecto nobis in Domino Jesu Christo F. Bartholomeo de Fidentia ordinis Heremitarum S. Augustini conventus Alexandria Aquensis diocesis salutem in eo qui est omnium vera salus. Tua supplicatio nobis nuper exhibita continebat, quod quum tu esses de conventu fratrum ordinis Heremitarum S. Augustini de Alexandria Aquensis diocesis prædictæ, & tibi provisum fuisset per tuum Priorem, & conventum de Ecclesia S. Martini de Castellatio, sive de Gamundio curam animarum habente, quæ quidem Ecclesia spectat, ut asserbas de jure ad prædictum Priorem, & conventum per privilegia Papalia, & quod nos tibi tamquam verus ordinarius, & diocesanus tuus deberemus tibi committere, & gratiam facere, prout statuunt, ordinant, & præcipiunt canonice sanctiones, videlicet quod possis curam animarum ad præfata Ecclesiam, ut asseris spectantem populi tibi commissam ministrare, & dictam curam licite exercere, & omnia facere, quæ ad dictam curam spectant quomodolibet de consuetudine, vel